



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Defensio Abbatiæ Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

16. Ottonis II. Imp. Dat. Wormatiæ, Anno DCCCCLXXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

16.

*Ottonis II. Imperatoris Datum VVormatiæ, Anno  
DCCCCCLXXIV.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ annuente clementiâ Imperator Augustus. Quoniam Regalis Antecessorum nostrorum prouidentia, & sollicitudo in construendis, construetisque stabiliendis Dei Ecclesijs piè iugiter inuigilauit. Idcirco benignissima & misericordissima Christi miseratione, in cuius manu Regum corda & Iura confidunt, regni illorum diuturnitas pacificata viguit & effloruit. Vnde nos piè salubriterque de nostri statu regni tractantes, deuotamque illorum sollicitudinem imitari cupientes priuilegia p̄ijssimi Genitoris nostri, Dñi Imper. Augusti Cæsaris Ottonis, cæterorumque retroacti temporis Imperatorum, aut Regum, Dagoberti videlicet, Pippini, Magni Caroli, Pij Ludouiei, Successorumque eorum Cœnobio Sancti Maximini, qui in suburbio Treuitorum requiescit, concessa, vel attributa ob interuentum carissimæ Genitricis nostræ Adelheidis, & Coniugis nostræ Theophaniæ, nec non Theodorici Sanctæ Metensis Ecclesiæ Episcopi, nostra etiam authoritate robore decreuimus, vt & Antecessorum nostrorum beneuola pietas non à nobis neglecta debilitetur, & Monachorum inibi Deo seruientium tranquillitas ab aliqua introducenda persona non inquietetur. Eâ siquidem ratione, vt idem Cœnوبium, vbi prænotatus Sanctus Pontifex requiescit, cui Venerandus Abbas Theofridus præesse videtur, sicut sub Antecessorum nostrorum, sic sub nostro quoque Iure, Mundiburdio & defensione consistat. Nec alicui sedi aut Ecclesiæ ( excepto nostræ Imperialitati ) Successorum nostrorum famulum aut appendix vel beneficiarium subiaceat. Concedimus etiam eis liberum inter se eligendi Abbatem arbitrium, vt eo securius diuinum ab illis impleatur officium, summæque propensius Majestatis pro nobis implorent auxilium. Insuper etiam concedimus, vt idem Abbas, sibique commissa congregatio, eorumque successores potestatem habeant Aduocatias Monasterij sui, cuī velint dandi, cuique velint tollendi. Et vt nulla cuiuslibet iudicariæ dignitatis persona in Curtibus eorum placitum habere præsumat, Teloneum à nauibus eorum nullus exigat, familiaque eorum bannum & fredas nulli nisi Abbati persoluat, nulliusque nisi Abbatis, vel ab eo constitutorum placitum attendat, & in singulis Ciuitatibus Imperialibus vel præfectorijs liberam potestatem habeant intrandi & exeundi, vendendi & emendi, pascendi & aquandi, eique opera Imperialia vel Comitialia funditus perdonamus. Et vt hoc authoritatis nostræ præceptum firmum & stable permaneat, priuilegium hoc conscribi, & annuli nostri impressione signari iussimus, quod propriâ manus subto firmauimus.

Signum Domini Ottonis inuictissimi Imperatoris Augusti. Willigis Notarius vice Rodberti Archicapellani subscripti. Data V.  
Kalend. Iulij, Anno Dominicæ Incarnatio-



D d

nis

nis DCCCCLXXIV. Indictione prima. Anno Regni Domini Ottonis XIII.  
Imperij VI. Actum Wormatiæ in Domino feliciter. Amen.



17.

*Ioannis XV. Pont. Max. Bulla Data Indi-  
cione XV.*

JOANNES Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Abbatii, amabili nobis in Christo filio, Ogoni benedictionem Apostolicam. Conuenit Apostolico moderamini, piâ religione pollentibus beneuola compassione subuenire, & religioso voto assensum impartiri. A summo enim opifice nos ex hoc præmium accepturos speramus, si Ecclesiæ ad eius cultum præparatas nostra industria in melius statuere laboramus. Igitur tuæ religiosæ petitioni assensum præbentes, authoritate Apostolici præcepti decernimus, ut congregatio Deo, Sanctoque Maximino deseruiens, sicuti à Charissimo filio nostro, Rege Ottoni, cæterisque Regibus, vel Imperatoribus Francorum, tuo cœnobio concilium est, liberam deinceps habeant potestatem creandi inter se, quem secundū Deum sibi elegerint Abbatem, nec aliqua cuiuslibet dignitatis persona infra Monasterium nisi à te, vel à tuo Successore inuitatus quicquam pro suo libitu ordinare vel exercere præsumat. Interdicimus etiam Apostolico præcepto, ne cui vnquam Ecclesiæ, vel sedi concambio, vel aliquo ingenio subdatur, sed tali libertate & immunitate, sicut Prumiense Monasterium, cæteraque Regalia loca inoffensè & perpetualiter fruatur: ipse vero locus Monasterij perenniter sub Mundiburdio Regum vel Imperatorum, filiorum S. R. Ecclesiæ, Apostolico præcepto iubemus, ut maneat, nulli vnquam personæ beneficiarius, aut inuagendus pateat, sed ad usus & tranquillitatem Monachoru[m] ibidem absque ullius contradictione liber permaneat, ad eumulū quoq[ue] vel augmentum Monasticæ træquilitatis adjicimus, ne qua cuiuslibet dignitatis persona, vel aliquis successor tuoru[m] spiritu maligno seductus, quicquam vel minimum alienare præsumat, tā ex his, quæ modo Monasterio tuo collata sunt, quā ex his quæ cæteri fideles inde-

colla-